

Alte Drucke

Concilia quatuor generalia

TOMVS PRI=||MVS QVATV=||OR CONCILIO||rum generalium. || Quadraginta
septem Conciliorum prouincialiu[m] au=||thenticorum. || Decretorum
sexaginta nouem Pontificum. Ab aposto=||lis & eoru[m]de[m] ...

Isidorus <Hispalensis>

Parisiis, 1524

EPISTOLA CVIVS SVpra AD OMNES ORIENTALES EPISCOPOS.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150505

dicentes. Cū excommunicatis non est comunicandum, & si quis cū excoīcatis auertendo regulas scienter psallat in domo, aut simul locutus fuerit, aut orauerit, ille cōione priuetur. Tales ergo i omni bus sunt cauēdi & nō suscipiēdi, quia iuxta aplm nō solū qui faciūt dānātur, sed qui cōsentiūt faciēti bus. Vñ & beatus apostolorū princeps Petrus in ordinatione Clemētis alloquens populū inter cete ra ait, Si inimicus est iste Clemēs alicui pro actibus suis vos nolite expectare, vt ipse vobis dicat cū illo nolite amici esse, sed prudenter obseruare debetis, & volūtati ei⁹ absq; cōicatione obsecū dare & auertere vos ab eo cui ipsū sentitis aduersum, sed nec loqui his quib⁹ ipse nō loquitur, vt vnusq; qui in culpa est, dum cupit omnium vestrū amicitias ferre festinet citius reconciliari ei qui omnib⁹ preest, & p hoc redeat ad salutem cū obedire ceperit monitis presidentis. Si vero quis amicus fuerit his quibus ipse nō loquitur, vnus est & ipse ex illis qui exterminare dei ecclesiam volunt, & cū cor pore vobiscum esse videatur mente & animo contra vos est, & est multo nequior hostis hic quā illi qui foris sunt, & euidenter inimici sunt, hic enim per amicitiarum speciem que sunt inimica gerit, & ecclesiam dispergit ac vastat. **I**deoque charissimi his apostolicis institutis vos monētes instrui mus, vt effecta certior caritas vestra solliciti⁹ deinceps agere studeat & cautius, ne peruersi & infide les homines ledēdi fideles ac beniuolos habeāt facultatem, quoniam spes talium & omnium impio rum tanquā lanugo est que a vēto tollitur, & tanquā spuma gracilis que a procella dispergitur, & tā quam fumus qui a vento diffusus est, & tanquam memoria hospitis vnus diei pretereūtis. Sumo pere charissimi tales cauendi sunt, & auertendi atq; reiiciendi si nocentes apparuerint, quia nō solū ecclesiastice sed etiam seculi leges se nocētes non suscipiūt, sed repellūt. Vnde scriptum est, os impio rum deuorat iniquitatem, & dominus per prophetam loquitur dicens. Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris, & cum electo electus eris, & cum viro nocenti nocens eris, & aposto lus inquit. Perue rterunt bonos mores colloquia mala. Idcirco vt p̄libatum est, iam mali sunt semp cauendi, & bonis atq; beniuolis est inherendum, vt periculum desidie quantum possumus decline mus. Et ne pestis hec latius diuulgetur seueritate qua possumus abscindamus, quoniam nō temerit as interuenit presumptionis vbi est diligētia pietatis. Agat semper vnusquisq; vestrum hac infor matione apostolica fultus iuxta vires suas, & fraterna dilectione & sancta religione mores proprios conseruare & in cōmune alterutrum adiuuare, & in charitate permanere, & in dei voluntate indefi nanter studeat inherere vt simul laudantes dominum indefessas semp illi gratias agamus. Valete in domino charissimi & predicta vt melius potestis domino opem ferente adimplere studete. Da ta kal. Iulii. Maximio & Africo. iiii. consulibus.

A

EPISTOLA CVIVS SV

PRA AD OMNES ORIENTALES EPISCOPOS.

FABIANVS EPISCOPVS VRBIS ROME OMNIBVS B



orientalibus episcopis, & cunctis fidelibus in domino salutem. Exigit dilectio ve stra sedis apostolice consulta, que vobis denegare non possumus nec debemus, hoc autem & predecessores nostros multarū regionum episcopis egisse liquet, & nos q in eadem sede dño largiente collocati sumus agere debere fraterna charitas & obe diētie debitum compellit. Cura est ergo vestre sollicitudinis adhibenda, vt ea que sunt ab apostolis eorumq; successorib⁹ ordinata, & instigāte sancto spiritu instituta, nec dissimula tio negligere nec aliqua presumptio valeat perturbare. Sed sicut hoc quod rationis exigebat vtilitas oportuit diffinire ita quod diffinitum est nō debet violari. Literis vestris vero inter cetera insertū in uenimus quosdam regionis vestre episcopos a vestro nostroq; ordine discrepare & nō per singulos annos in cena dñi crisma cōficere, sed duos aut tres annos confectionem sancti crismatis semel actā cōseruare. Dicunt enim vt in memoratis apicibus reperimus nec balsamū p singulos annos posse re perire, nec necesse fore p singulos annos crisma cōficere, sed dum vna cōfectio crismatis abundat, aliā fieri necesse nō habere. Errat enim qui talia excogitant, & mente vesana potius quam recta sentiētes hec dicūt. In illa enim die dñs Iesus postq cenauit cū discipulis suis & lauit eorū pedes (sicut a san ctis apostolis pdecessores nostri acceperunt nobisq; reliquerūt) crisma cōficere docuit, ipsa enim la uatio pedū nostrū significat baptismum, qñ sancti crismatis vnctione pficitur, atq; cōfirmatur. Nā sicut ipsi⁹ diei solēnitas p singulos annos est celebrāda, ita ipsius sancti crismatis confectione p singulos

annos est agenda, & de anno in annū renouanda & fidelibus tradēda, quia nouū sacramentū est per singulos annos, & iam dicto die innouandum, et vetus in sanctis ecclesiis cremandum. Ista a sanctis apostolis et successoribus eorum accepimus, vobisque tenēda mādamus. Hec sancta Romana ecclesia & antiochena a tpe apostolorū custodit. Hec hierosolimorū & ephesianorum tenet, in quibus apostoli presidētes hec docuerunt, & vetus crisma incendi, & non amplius quam vno anno uti permiserūt atque deinceps nouo frui & nō veteri iubentes docuerūt. Si quis ergo his obuiare tentauerit omnē sibi per vos & per omnes recte intelligētes indulgentie aditum intelligat obseratū, quia prauissimarum mentiū peruersa doctrina (dum indulgenti⁹ frenis vitur) in preuicationem preluptionis delabitur, & nullatenus eruitur, nisi prudentium sustentatione & correctiōe liberetur. Illa autē que circa diuina mysteria & erga baptizādos in vniuerso mundo sancta ecclesia vniiformiter agit, nō ocioso cōtemplanda fuit intuitu, ne locū superuacuis intētionibus & superstitionibus faciamus. Rudes ergo fidelium mētes ad talia nō debemus inducere, quia docendi potius sunt quam illudendi. Ad nostram enim letitiā bene facta perueniunt, & meroris acculeis nos que fuerint male facta cōpungunt. **H**ic vero inter manus latronum & dentes luporū furētium vtcūque versamur, & cōtumaces sunt subditi atque oues. Nam latratu canū baculoque pastoris luporū rabies deterrenda est. Illa vero que fomentis nō sanātur vulnera ferro abscindi necesse est. Nec silere possumus ut cū hic ab illicitis reuocemus aliquos officiū nostri prouocemur instinctu in speculis a dño constituti, ut vigilantie nostre diligentia cōprobantes, & que coercenda sunt refecem⁹, & que obseruanda sunt censeamus.

- A** **C**ōsulere etiā nos (ut in p̄dictis literis vestris inuenimus) super accusatione sacerdotum voluistis, que oppido apud vos (ut in eisdē apicibus reperim⁹) crebrescit. Significastis insuper plerosque attendere, multos in ipsis honoribus ecclesiasticis nō congruenter viuere sermonibus & sacramentis que per eos populis ministrantur. O miseros homines qui hos intūedo christum obliuiscuntur qui & multo ante predixit ut lege dei potius obtemperetur quam imitandū videantur illi qui ea que dicūt non faciūt, & traditorem suum tolerans vsque in finē etiā ad euangelizandū cum ceteris misit. Nam apostoli talem consuetudinē nō habuerunt nec habendā docuerunt. Similiter & successores eorū quāquam multa de talibus prouidētes spiritu dei futura statuerunt. **P**orro ut legitis in actibus apostolorū, erat eo tempore inter fideles cor vnum & anima vna, neque aliquis eorum aliquid suum propriū dicebat, sed erāt illis omnia cōmunia. **N**ulla enim inter eos accusatio nisi familiaris erat, nec vnquam inter imitatores eorū aut fideles fieri debet dicente dño. Quod tibi nō vis fieri, alteri non facias. Et idem. Diliges p̄ximum tuum sicut teipsum, & dilectio p̄ximi malum nō operatur. Ipsi ergo apostoli & successores eorū olim statuerunt eos ad accusationem nō recipi qui sunt suspecti vel qui heri aut nudiustertius vel dudū fuerūt inimici, quoniā suspecti facti sunt, & qui nō sunt bone cōuersationis, vel quorum vita est accusabilis, aut dubii in recta fide. Similiter quorum fides, vita, & libertas nescitur, vel qui infamie maculis sunt aspersi, aut sceleribus irretiti. Neque eos sacerdotes debere vel posse aut dericos accusare qui rite sacerdotes fieri nō possunt, nec sui sunt ordinis. Quoniam sicut sacerdotes vel reliqui clerici a secularium laicorum excludūtur accusatione, ita illi ab istorum sunt excludēdi & alienandi criminatione. Et sicut isti ab illis, ita & illi ab istis non recipiantur, quoniam si cut domini sacerdotum segregata debet esse conuersatio ab eorum ita & litigatio, quia seruū dei nō oportet litigare. **T**ales charissimi fratres accusationes & iniustas aut nociuas emulationes pro viribus phibete, quia cōtentio summopere est vitanda. Septies enim cadit iustus in die & resurgit, impii autem corrueunt in malum. Cum ceciderit inimicus tu⁹ (ait Salomō) ne gaudeas, & in ruina eius non exaltabitur cor tuum ne forte videat dominus & displiceat ei, & auferet ab eo iram suam. Ne contēdas cum pessimis, nec emuleris impios, quoniam nō habēt futurorum spem mali, & lucerna impiorum extinguetur, nec emuleris viros malos, nec desideres esse cū eis, quia rapinam meditantur mēs eorū & fraudes labia eorū loquūtur, hec caute charissimi. **H**ec meditamini & fratrib⁹ in oib⁹ solatiū p̄state, quia in hoc cognoscent omnes (ut ipsa p̄ se veritas ait) quoniā mei estis discipuli, si dilectionē habueritis ad inuicem. Si enim in rebus secularibus suū cuiusque ius & p̄prius ordo seruāndus est, quātomagis in ecclesiasticis disputationib⁹ nulla debet induci cōfusio: quod ista obseruatio ne obseruabitur si nichil potestati, sed totum equitati retribuitur. **V**nde cōstat ep̄is locorum singulorū oim qui sub eorū degūt moderamine curā habere sollicitā, & causas utilitatesque eorū cū dei timore disponere. Valde ergo iniquū est ut alii quilibet omīssis suis se illorum causis admisceāt, sed illi eorum vitam & iudiciū competētī regularique debeant moderamine disponere, qui eos in sacerdotium ordi

tium ordinant, & a quib⁹ iam ordinati sunt, quoniam vt lex loquitur, maledictus omnis est q trans-
fert terminos proximi sui, & dixit omnis populus Amen. Deus ergo fratres ad hoc preordinauit
vos vt oēs qui summo sacerdotio funguntur, vt iniustitias remoueat, & presumptiones abscindat, &
sacerdotio laborantibus succurrat, & opprobriis & calamitatibus eorū locum non prebeat, sed ei q
calumniam & opprobrium patitur adiutorium ferat. Illum vero qui calūniam vel opprobrium
facit abscindat & domino in suis sacerdotibus opem ferat. ¶ Sacerdotes quoq; dominus sibi ele- **A**
git vt sacrificet ei & offerant oblationes domino. Leuitas quoq; sub eis esse iussit in ministeriis eorū,
vnde ad Moysen loquitur dicens. Princeps autem principum leuitarū eleazar filius Aaron sacerdo-
tis erit super excubitores ecclesie sanctuarii. De his enim locutus est dominus ad Moysen. Tolle le-
uitas pro primogenitis filiorum Israel & pecora leuitarum pro pecoribus eorum, eruntq; leuite mei
ego dominus. Si leuitas suos esse dñs voluit quātomagis sacerdotes sibi asciuit. De quibus ait, si qs
externorū acceperit morietur. Omnia vero que domini sunt caute tractanda sunt & nō leuiter pre-
cipitanda, quoniam & inter homines pro fidelibus habentur qui dominorum suorum causas bene
custodiunt, & fideliter tractant atq; precepta dñorum suorū bene custodiunt & non trāsgrediūtur.
Pro infidelibus vero reputātur hii qui dominorum suorū causas incaute & negligenter tractant, &
precepta eorū despiciunt, & nō vt debēt custodiunt. Ideo hec premisimus vt cognoscatur ab his qui
bus incognitum est qd & sacerdotes (quos sibi dñs de omnib⁹ asciuit & suos esse voluit) nō sunt leui-
ter tractandi nec lacerandi nec temere accusandi, aut reprehendendi nisi a magistris suis, quoniam eorū
causas sibi dominus reseruare voluit, & suo iudicio vindicari. Nam in his & in aliis preceptis domi-
ni & fideles cognoscuntur & infideles reprobantur. Tolerandi enim hi sunt potius a fidelibus quam
exprobandi, veluti palea cū tritico vsq; ad vltimum vtilabrum sicut pisces mali cū bonis vsq; ad se-
gregationem que futura est in littore, hoc est in fine seculi. Nullatenus ergo potest cōdemnari huma-
no examine quem deus suo iudicio reseruauit, vt propositum dei quod decreuit saluare quod perie-
rat fiat immobile. Et ideo quia voluntas eius non immutatur, nullus psumat ea que sibi nō sunt con-
cessa. Vnde est illud quod apłs loquitur dicens, iam quidē omnino delictū est, quia iudicia habetis
vobiscum, quare nō magis iniquitatē patimini? Quare nō potius fraudamini? Ad illud redeatur
quod dominus ait. Si quis voluerit tunicā tuam tollere, & in iudicio tecum contendere, dimitte ei &
pallium. Et alio loco. Qui aufert que tua sunt ne repetas. Sunt aut quedā que leuissima putarentur
nisi in scripturis demonstrarentur opinione grauiora. Quis vnquā dicenti fratri suo fatue reum ge-
henne putaret nisi ipsa veritas diceret? ¶ Illi vero qui illa peccata perpetrare quibus apostolus ait, **B**
quoniam qui talia agunt regnū dei non cōsequentur, valde cauendi sunt & ad emēdationem si vo-
luntarie noluerint cōpellendi, quia infamie maculis sunt aspersi, & in baratrum delabuntur nisi eis
sacerdotali auctoritate subuentū fuerit, similiter & illi de quib⁹ ipse ait, cum huiusmodi hominibus
nec cibū sumere, quia infamia sunt notati, antequā sacerdotali auctoritate sanentur, & in gremio san-
cte matris ecclesie reintegrētur quia qui extra nos sunt nobiscū communicare non possunt. Manife-
stum est enim quod hi extra nos sunt & a nobis discreti esse debent, cum quibus nos nec edere, nec
cibum sumere licet. Similiter & omnes psonę quibuslibet turpitudinibus ac scurrilitatibus subiecte
infames sunt effecte, & omnes qui aduersus patres ar mantur, infames efficiūtur. ¶ Harenam vero
& salem, & massam ferri facilius est portare quā hominem imprudētem & fatuum, atq; impiū, quo-
niam qui minoratur corde cogitat inania, & vir imprudens & errans cogitat stulta. Multos enim
supplantauit suspitio illorū, & in vanitate detinuit sensus illorum. Cor durum male habebit in no-
uissimo & qui amat periculum in ipso peribit. Cor ingrediēs duas vias non habebit requiem, & pra-
ui cordis in illis scandalizabitur. Cor nequam grauabitur in dolorib⁹, & peccator adiiciet ad peccan-
dum. ¶ Talia cogitantes sancti apostoli, eorūq; successores spiritu dei repleti, malos homines preui- **C**
dentes & simplices considerantes, difficile aut nūquam voluerunt esse accusationem sacerdotū, ne
a malis potuissent eueri aut submoueri, quia si hoc facile concederetur secularibus & malis hominib⁹
aut nullus aut vix per pauci remanerēt, quoniam semper fuit & est, & (quod peius est) nimis vi-
get, vt mali bonos persequantur, & carnales spirituales infestent, idcirco (vt predictum est) statuerūt
ne accusarentur, aut si aliter fieri nō possit perdifficilis eorum fieret accusatio, & a quibus supradictū
est non presumeretur, neq; a propriis sedibus aut ecclesiis episcopi eiicerētur, quod si quomodo pre-
sumptum fuerit, antequam & proprius locus & sua omnia eis legibus reintegrarētur, nullatenus a
quoquam accusarentur aut criminarētur, & nisi sponte elegerint cuiquā pro talibus non responde-

rent, sed postquā (vt prefixum est) restituti fuerint, & sua omnia eis legibus reintegrata, dispositis ordinatisq; suis magnum spacium tractandi causa eis concederetur. Et postea si necesse fuerit regulariter vocati veniret ad causam, & si iustū visum fuerit accusantium propositionibus sustentationē fratrum responderent. Nulla enim permittit ratio, dum ad temp⁹ eorū bona, vel ecclesias, atq; res ab emulis aut a quibuscūq; detinētur, vt aliquid illis obici debeat, nec quicquam pōt eis quoquomodo quilibet maiorum vel minorū obicere, dū ecclesiis rebus aut potestatibus carent suis. ¶ Similiter statutum est & nos eadem statuta firmantes statuimus, vt si aliquis clericorū suis episcopis infestus aut insidiator fuerit, eosq; criminari voluerit aut cōspirator fuerit, vt mox ante examinātū iudiciū submotus a clero curie tradatur, cui diebus vite sue deseruiat, & infamis absq; vlla restitutionis spe pmaneat. ¶ Nec vllus vnquam presumat accusator simul esse & iudex vel testis, quoniā in omni iudicio quatuor personas necesse est semper adesse, id est iudices electos, & accusatores, ac defensores, atq; testes. Si militer statuentes apostolica auctoritate iubemus, ne pastore suum oues que ei cōmisse fuerant (nisi in fide errauerint) reprehendere audeāt, quia facta ppositorum oris gladio ferienda non sunt, neq; potest esse discipulus super magistrum dicente veritatis voce. Nō est discipulus super magistrū, nec seruus super dominum suum. ¶ Odibilis autem coram deo & hominibus est superbia, & execrabilis omnis iniquitas, perdit de⁹ memoriā superborū & relinquit memoriā humilium sensu. Semen hominum honorabitur hoc quod timet deum. Semen autem hoc ex honorabitur hominum quod preterit mandata domini. In medio fratrum rector illorū in honore, & qui timent dominum erunt in oculis eius. Fili (ait Salomon) in mansuetudine serua animam tuam, & da illi honore cui honor cōpetit. Priusq; iterroges ne vituperes quēquam, & cū interrogaueris corripe iuste. Priusq; audias ne respondeas verbum, & in medio seniorū ne adicias loqui. Exemplo Cham filii Noe dā nantur, qui patrū suorum culpas in publicū produnt, aut eos accusare vel detrahare presumunt veluti Cham qui patris sui Noe pudenda non operuit, sed deridenda monstrauit. Similiter & illi exemplo sem & Iaphet iustificātur qui reuerenter operiūt & nō pdunt ea que patres suos excessisse cognoscunt. Si enim a fide deuiauerit episcopus, erit corrigend⁹ prius secrete a subditis suis, quod si incorrigibilis (quod absit) apparuerit, tunc erit accusand⁹ ad primates suos, aut ad sedem apostolicam.

B ¶ Pro aliis vero actibus suis magis est tolerandus ab ouib⁹ & subditis suis quā accusandus, aut publice derogandus, quia cum in eis a subditis delinquitur, ei⁹ ordinationi obuiatur qui eos eis preterit dicente apostolo, Dei ordinationi resistit qui potestati resistit. Qui vero omnipotentē deum metuit, nec cōtra euangelium, nec cōtra apostolos nec cōtra prophetas, vel sanctorum patrū instituta aliquid vllō modo agere cōsentit. Sacerdotes ergo honorandi sunt, nō lacerandi vel exprobandi sunt, legitur in ecclesiastem. In tota anima tua time deū, & sacerdotes illi⁹ sanctifica, in omni virtute tua dilige eū qui te fecit, & ministros eius nō derelinquas, honora deū ex tota anima tua, & honorifica sacerdotes, & propurga te cū brachiis, da illi partem sicut mandatum est tibi primitiarum & purificationis, & de negligētia purga te cū paucis. ¶ Datum brachiorū tuorum & sacrificium sanctificationis offerens dno, & initia sanctorum, & pauperi porrige manum tuam, vt perficiatur propiciatio & benedictio tua. Hec nō tantummodo vobis sed omnibus fratribus per vos nota fieri volumus, vt vnanimēs vnū sentientes permaneamus in christo. ¶ Nichil per contentionem nobis neq; per inanem gloriam vindicantes, non hominib⁹ sed deo saluatori nostro placētes. Cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

ITEM EPISTOLA FABIANI PAPE.

C  ILECTISSIMO FRATRI HILARIO EPISCOPO Fabianus. Diuine circa nos gratie memores esse debemus, qui nos per dignationis sue misericordiam ob hoc ad fastigium sacerdotale prouexit, vt mandatis ipsius inherentes, & in quadam sacerdotū eius specula constituti prohibeamus illicita, & sequenda doceamus. In tantū enim in occiduis partib⁹ quibus moraris audiuius astutiam diaboli seuire in populum christianum, atq; in multiplici deceptione prorumpere, vt non solum laicos seculares, sed ipsos quoq; domini sacerdotes premat atq; vexet. Vnde in grandi merore positi dissimulare nō possum⁹ quod cor